

die. Præterea non dicitur, propter quamvis culpam hominem esse condemnandum ad mortem, sed subitum pœnam. Simili etiam ratione Matth. 5. dicitur: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem;* Licet enim propter unicum quadrantem debitor non statim mittatur in carcerem, debet tamen et hunc solvere.

Inst. 5. Ps. 31. v. 2. dicitur: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum;* ergo ex sola Dei imputatione sumitur, quod peccatum inducat vel non inducat mortem.

R. N. Cons. Eodem Ps. v. 1. David beatos vocat, quorum remissæ sunt iniuriae, et v. 6. Deum allocutus, *Tu remisisti,* inquit, *impietatem peccati mei.* Si vero peccata justorum non imputarentur, quid remissione opus foret? Supponitur itaque potius in peccatis condignitas, propter quam alia ad pœnam æternam, alia ad temporalem pœnam Deus deparet, quam ut sequatur, peccatum per imputationem fieri mortale. Quare sensus est: Beatus vir, cui peccatum plane remissum est tum quoad culpam et reatum pœnæ æternæ, tum quoad pœnam temporalem.

39. *Obj. II.* SS. Patres peccata, quæ nos venialia dicimus, docent quoad se et sine respectu ad misericordiam divinam esse gravia et excludere a beatitudine. Sic enim Aug. L. 9. Conf. c. 3. n. 34. *Væ etiā laudabili vita hominum, si remota misericordia excutias eam.* Et ep. 29. (al. 167. n. 20.): *Cum Rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? Quæ igitur spes est, nisi superexaltet misericordia iudicio?* Et L. 2. de peccat. merit. et remiss. c. 3. *Quis cum aliqua spe adipiscenda salutis æterne de hac vita emigraret, manente illa sententia, quod quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, nisi post paululum sequeretur...* Superexaltat autem misericordia iudicio; ergo.

R. N. A. Ad teatum 1^{um}. R. Significat hic homines etiam sanctos non carere peccatis venialibus, ob quæ, nisi misericorditer condonentur, gravissimas in purgatorio pœnas soluti sint. Hanc enim per verba recitata rationem reddit, cur oraturus sit pro matre sua, quam ibidem multum laudat.

Ad 2^{um}. R. Similiter. Loquitur enim hic de iudicio singulari, dicitque neminem esse purum a veniali macula, et sine Dei misericordia spem non esse beatitudinis statim ab obitu obtinendæ.

Ad 3^{um}. R. Sensus est, neminem cum spe adipiscendæ beatitudinis mori posse, nisi Deum sciret misericordem, et veniam ab eo sperare posset; tum quia venialia, in quibus offendimus omnes, disponunt ad mortale: tum quia vel unicum mortale sufficit ad perditionem hominis æternam; nemo autem certo novit, num nullum unquam mortale commiserit, aut si admisit, num in gloriam Dei per veram pœnitentiam redierit.

Inst. Idem Tr. 1. in ep. Joan. n. 6. *Ista levia,* inquit, *quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis, quando appendis; expavesce, quando numeras.* *Levia multa faciunt unum grande.* *Multæ guttæ implent flumen: multa grana faciunt massam.* Similia in ep. 29. (al. 167. n. 20.) et 408. (al. 263. n. 8.) Tr. 12. in Joan. n. 14. et serm. 3. in Ps. 418. n. 2. leguntur. 2^o. S. BASIL. in Regulis compendio explicatis interr. 4. scribit, nullum peccatum esse contemendum ut parvum, cum revera nullum parvum sit, et secundum Apo-

stolum peccatum omne sit *stimulus mortis.* 3^o. S. HIER. L. 2. Dial. adv. Pelag. n. 11. ait: *Si ira et sermonis injuria atque interdum jocus iudicio, concilioque et gehennæ ignibus delegatur; quid merebitur turpium rerum appetitio etc?* 4^o. S. CHRYS. hom. 60. (al. 59.) in Joann. n. 6. ad pop. docet non esse peccatum levius aliquid defraudare de pretio, quam magnam subripere pecuniae quantitatem.

R. Ad 1^{um}. S. THOM. 4. 2. q. 88. a. 4. docet, mentem S. AUG. eam fuisse, quod multa venialia, si negligantur, paulatim disponant hominem ad mortale; non vero, quod formaliter faciant mortale. Primum enim sensum Scriptura Eccli. 19. etiam indicat: alterum rationes apertæ condemnant.

Ad 2^{um}. R. Nec auctoritas loquentis urget; quia non constat certe, num eæ questiones sint BASILII M., an Eustathii Sebasteni, cuius errores damnati sunt in Conc. Gangreni; certe postremo tribuuntur a Sozomeno et Nicephoro: nec urget sensus verborum; qui est, nullum peccatum, quod spernitur, esse parvum ratione periculi et peccati mortalis, ad quod disponit; atque sic etiam veniale peccatum esse stimulum mortis.

Ad 3^{um}. R. S. HIERONYMUS hic non habuisse rationem ordinis in enumeratione illa peccatorum et pœnarum correspondentium, sed numerum tantum attendisse; cum Domini sententiæ repugnare non voluerit, quam ipse paulo ante adduxerat.

Ad 4^{um}. R. Sermonem hic esse de eo, qui plus accipere voluit, sed nomisi pauca fraudare potuit; unde tantum sequitur, quod defectus externi actus voluntatem malam non excusat a peccato.

40. *Obj. III.* Omne peccatum est transgressio legis divinæ: est offensa personæ infinitæ; ergo omne peccatum est grave. *Conf.* Quilibet etiam venialiter peccans plus amat creaturam, quam Deum, et huic illam præfert; ergo graviter peccat.

R. D. A. Omne peccatum est transgressio legis divinæ graviter vel leviter obligantis C. semper graviter obligantis N. Item est gravis vel levis offensa personæ infinitæ T. semper gravis N. vide inf. dicenda.

Ad Conf. R. N. vel D. A. Amat creaturam plus intensivæ C. appretiative N. Qui venialiter peccat, est actualiter vel habitualiter paratus bonum illud, quod in peccando habet, contemnere, si id præcepto graviter obligante Deus prohibeat; ergo amat Deum simpliciter et appretiative plus quam creaturam, nec hanc illi præfert: afficitur tamen hic et nunc magis a creatura, quam a Deo, ab eaque movetur ad aliquid Deo displicens faciendum; unde, quia Deum non omni modo et perfecte appretiat, venialiter peccat.

Adde, quod non requiratur, ut quis positive sit ita habitualiter paratus, quatenus ejusmodi actum antea habuerit, nec retractaverit; quia etiam peccatores, seu qui non sunt in statu gratiae, venialiter peccare possunt: sed ad hoc, ne quis dicatur per veniale creaturam præferre Deo, satis est, quod sit ita habitualiter paratus quasi negative, nempe hoc sensu, quod peccatum veniale vel electio boni temporalis consistat cum voluntate contemnendi illud, si esset graviter prohibitum, et hanc voluntatem non excludat: Item quod eligens objectum leviter prohibitum per hoc non eligat graviter prohibitum, et hinc non eligat aversionem a Deo, ut facit mortaliter peccans;

non enim vult, et consequenter non mavult per suum actum separationem a Deo potius, quam ab illo actu abstinere.

Inst. 1. Veniale peccatum minuit charitatem, et consequenter amicitiam Dei, quia haec consistit in charitate; ergo.

R. D. A. Minuit charitatem habitualem *N.* actualem *C.* Amicitia Dei stat in gratia, quae Deo nos gratos et dilectos facit; et in charitate, qua Deum habitualiter super omnia diligimus. Veniale non aufert hujus gratiae et habitualis charitatis gradum ullum, sed solum minuit, vel potius impedit fervorem charitatis actualis, quatenus qui peccat, hoc actu non se vult omnimodo conformare beneplacito divino.

Inst. 2. Ex gravitate poenae, qua delictum punitur, colligitur hujus gravitas. Sed pena, qua veniale peccatum punitur, est gravissima, et major, quam omnes hujus vitae poenae; ergo.

R. D. min. Est pena gravissima respective ad culpas civiles et poenas in hac vita *C.* respective ad culpas morales et mortales ac poenas alterius vitae *N.* Culpa mortalium enim inducit odium ac inimicitiam Dei, meretur poenas aeternas cum desperatione et extrema miseria conjunctas, quorum neutrum veniali convenit. *Nee obstat*, quod quis sub mortali teneatur etiam vitare culpam civilem levem, cui ab hominibus constituta est pena mortis; unde sequatur sub eadem obligatione vitandum esse peccatum veniale, cui major pena, quam mortis, a Deo sit decreta. *Disparitas* est, quia pena illa ab hominibus statuta est maxima in humano iudicio et irreparabilis, ac Deus praeterea imperat sub obligatione gravi, leges humanas sub pena mortis latas observare propter charitatem, quam quilibet sibi ipse debet. Pena autem venialis peccati nec maxima nec irreparabilis est, nec ejus culpa prohibita est a Deo sub obligatione gravi.

Inst. 3. Peccatum veniale meretur penam aeternam: nam *primo* est majus malum, quam aeterna pena, cum hanc potius, quam illud eligere oporteat; ergo et hanc per se meretur. *Secundo*, Deus illud posset nunquam remittere, quia remissio peccati est gratuita; ergo posset et illud in aeternum punire. *Tertio*, peccatum veniale in damnatis juxta probabilem in aeternum punietur; ergo meretur penam aeternam.

R. N. A. *Ad Prob. 1^{am}.* *D. A.* Est majus malum ratione ineligibilitatis *C.* ratione pravitatis *N.* Carentia visionis boni infiniti et pena sensus (intellige praecisam a blasphemis et odio Dei) est malum in genere physico; proinde secundum se et naturam suam non est simpliciter malum, sed tantum secundum quid et respective ad eum, qui illam patitur. Peccatum vero est in genere mali moralis; consequenter in se quid illicitum ac nunquam eligendum, atque hinc minus eligibile, quam pena aeterna aut illum malum physicum. Sicut tamen veniale in suo genere non est culpa maxima, pena autem aeterna est maxima in genere penae et mali physici; sic peccato veniali non debetur pena aeterna, quia culpe levi pena maxima non convenit.

Ad Prob. 2^{am}. *D. A.* Posset nunquam remittere homini injusto *C.* justo subd. si ageret ut absolutus dominus *C.* si ut justus iudex, et simul pater et amicus cum filio adoptivo et amico *N.* Justus ratione gratiae sanctificantis, vi eius filius est et amicus Dei, habet jus ad visionem Dei; ad hanc autem eum pervenire nequeat, quamdiu veniali maculatus est, Deus hoc illi quocumque demum modo remittere tenetur. Promissionem hujus habemus

Matth. 6. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimitte et vobis Pater vester celestis delicta vestra.* Unde S. Aug. L. de corr. et grat. c. 43. n. 41. ait, in iudicio misericordiam bonis meritum justorum esse reddendam. *Distinguo* etiam *Cons.* Ergo posset Deus illum in aeternum punire spectando absolutum Dei dominium, secundum quod etiam innocentem punire aeternum potest *C.* spectando rationem culpe, cui Deus ceu justissimus judex poenam proportionatam statuit *N.*

Ad Prob. 3^{am}. *D. A.* Punietur per se et ratione culpe in aeternum *N.* per accidens ratione subjecti nolentis redire cum Deo in amicitiam, vi cuius acquireret jus aliquod ad gratiam culpe remissivam *T.*

Inst. 4. Homo propriis viribus et sine gratia Dei non potest resurgere a veniali, et juxta probabilem non potest condigne satisfacere pro veniali; ergo veniale ex se manet aeternum, et puniri in aeternum juste potest.

R. D. *Cons.* Si homini aliunde non debeatur aut obveniat aliquid, vi cuius resurgere possit, aut quocumque modo emundari a suo peccato *T.* Si debeatur aut obveniat, ut modo dictum *N.*

Inst. 5. Peccatum veniale saepe parum distat a mortali, v. g. in materia furti modica differentia unius v. g. solidi potest ex veniali facere mortale, et vicissim. Ergo tale peccatum specie erit idem cum mortali, et penam aeternam merebitur.

R. D. *A.* Veniale saepe parum distat a mortali materialiter sumpto et per respectum praecise ad objectum *C.* a mortali formaliter sumpto et per respectum ad legem prohibentem *N.* Quantitas 13. solidorum, quae interim supponitur esse gravis materia furti, non differt multum et specie physica a quantitate 14. solidorum; quia tamen solidus unus alii 13. solidis additus compleat materiam, cuius ablatio est graviter prohibita, hinc quantitas 13. solidorum ab alia differt morali specie, et per respectum ad legem.

Inst. 6. Quod unum peccatum sit mortale, aliud veniale, habetur ex solis Dei praecceptis diversis quibus opponuntur; ergo saltem ex sola voluntate Dei et non ex sua natura differunt.

R. T. *A. D. Cons.* Ergo differunt ex sola Dei voluntate quatenus ex ea dependet, quod actus cum advertentia ad obligationem inde resultantem elicitus sit peccatum vel leve vel grave *N.* quatenus ex ea pendet, quod detur obligatio talis, qua posita actus cum advertentia ei contrarius sit peccatum grave vel leve *C.* Quaestio autem non est de voluntate Dei antecedente actum et ordinante, sed de consequente actum ac disponente de eo, jam in ratione sue moralitatis constituto. Nam et Deus antecedenter facere potest ut immolatio filii sit opus bonum, et cornestio pomi sit mala, si illam precipit, hanc prohibeat; ubi tamen Abraham immolare filium jam voluit, et Adam pomum comedit, hoc bonum, illud malum facere non potuit. Dixi: *Trans. Ant.* quia, licet preceptum graviter obliget, si tamen in homine sit imperfecta deliberatio, erit peccatum veniale.

Inst. 7. Quod Deus praecipit, vel prohibuit sub veniali, hoc potuisse sub mortali prohibere aut praecipere. Atqui hoc casu omnia peccata forent mortalia; ergo, quod jam sint venialia, est a sola misericordia Dei.

R. 4^o. *D. A.* Potuisse sub mortali praecipere aut prohibere in casu particulari, et quando adest finis extrinsecus sufficiens, ad levem materiam graviter prohibendam *C.* universaliter, aut etiam quando non adest ejusmodi

finis N. Quamvis enim hoc præcise ratione dominii divini possibile sit; quia tamen homo *necessitatem moralem* habet in aliqua saltem peccata venialia indeterminata aut minus deliberata labendi, minus consentaneum foret Legislatori divini sapientiae, bonitati et suavi providentiae, si omnia sub mortali prohiberet.

R. 2^o. D. Cons. Ergo, quod ex genere suo leviter culpabilia, jam sint venialia, hoc est, non prohibita sub mortali, est ex sola Dei misericordia, de quo tamen non queritur C. quod jam facta contra legem leviter obligantem sint venialia, hoc est, non deputentur ad pœnam æternam, est ex sola misericordia N. De hoc autem controversia agitur.

41. *Observa.* Pro discernendo peccato *mortalis* a *veniali* universim hæc regula dari solet: solum illud est mortale, in quo est materia gravis, quantitas notabilis, plena advertentia et consensus voluntatis plenus; illud autem est veniale, in quo unum ex predictis deficit. Atque hinc etiam tertia classis venialium, scilicet ex natura sua talium, de quibus hactenus dicebamus, tres venialium species sub se complectitur.

Alia enim sunt *venialia ex suo genere*, et objecto proprio, quæ nimurum circa objectum ejusmodi versantur, ut, quantumcumque hoc erescat, illa tamen non evadant ad malitiam mortalem; sed fieri tantum mortalia queant vel ex conscientia erronea, vel ex dispositione quadam animi mortali, vel alia ex circumstantia, per quam ad speciem alienam graviter malam transferantur. Talia sunt verbum otiosum, risus nimius et alia ejusmodi.

Alia sunt *venialia ex parvitate materiæ*, quæ scilicet in re parva ac levi committuntur; quale est furtum' unins oboli, utpote quod neque proximum notabiliter laedit, neque est ejusmodi, quod apud eum homines amicitiam tollere queat. Dantur tamen peccata, in quibus nulla materia est *levis*, sed omnis sufficiens ad peccatum mortale, ut sunt odium Dei, blasphemia, heres, perjurium, desperatio, etc., utpote in quibus, quacumque demum in materia deliberate commisis, integra ratio malitiae et tota deformitatis quantitas invenitur. Huc etiam spectat delectatio venerea, in qua parvitas materiæ non datur; cum non possit esse efficaciter volita, quin ipsa pollutio implicite et virtualiter vel placeat, vel intendatur, vel grave ejus periculum incurritur. Quin ab Alex. VII. damnata est hæc inter alias propositiones ordine 40^o. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

Alia sunt *venialia ex imperfectione actus*, quæ nempe ob subreptionem, vel defectum sive cognitionis, sive deliberationis, sive libertatis, sive consensus perfecte voluntaria non sunt, et hinc rationem mortalis culpe non participant; quales sunt subiti motus cupiditatis, iræ, inadvertentie et alii similes, qui prius animum occupant, quam ratio liberare potuerit, an admittendi essent, aut semisopitis obveniunt, aut minus advertentes infestant.

ARTICULUS II.

PER QUÆ PRÆDICATA INTRINSECA DIFFERANT INTER SE PECCATUM MORTALE ET VENIALE?

42. *Nota.* Tres sunt de ipsa essentiali differentia opiniones. 1^o. Est Scoti, quæ dicit mortale, quod est contra legem; veniale, quod est contra consilium; ubi nomine consilii videtur omnia comprehendere, quæ ad salutem non sunt simpliciter necessaria. 2^o. Est S. THOMÆ 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. quæ mortale dicit esse contra legem; veniale autem tantum præter legem; ubi legem non sumit pro ordinatione Dei obligantis quacumque, sed pro lege directe intendente conjunctionem cum Deo seu dilectionem, quæ etiam dicitur finis legis, vel cuius observatio est necessaria ad salutem. 3^o. Est DURANDI, VEGÆ, ADRIANI, multorumque Recentiorum que dicit mortale peccatum esse transgressionem legis graviter obligantis; veniale transgressionem legis leviter obligantis.

Lex autem *graviter obligare* in hac sententia dicitur, cuius observatio præcipitur, aut violatio prohibetur sub intermissione divini odii et inimicitie: *leviter*, cuius adimplatio urgetur aut transgressio vetatur tantum sub ratione aut debito incurrende displicentiae divinae, non autem sub intermissione illa priore. *Signa* porro legis graviter obligantis universim habentur ex Scripturæ effatis, Conciliorum et Pontificum definitionibus, Ecclesiæ ac Patrum sententiis, communī Doctorum aut aliorum etiam prudentum et timoratorum sensu, consuetudine ac usu.

Speciatim vero, si lex continetur in *sacris litteris*, et actio prohibita nominetur abominatio, nefas, detestandum etc., vel dicatur morte aut exclusione a celo digna, vel ob illam Deus minetur per verbum *væ* malum grave, aut quecumque verbis privationem beatitudinis vel pœnas inferni, graviter obligare censetur. Si lex *humana* sit, attendendum est ad verba, quibus obligatio exprimitur: Item ad finem legis, qui si momenti magni sit, et sine obligatione gravi non obtineretur, graviter obligare censetur. Si lex positiva autem non extet, sed ea potius *naturalis* sit, tunc naturali etiam ratione utendum, spectanda materiæ gravitas vel in se, vel in ordine ad Deum, charitatem proximi et sui etiam ipsius. Præterea vero in his omnibus ad signa illa, universim legum obligationem spectantia, recurrentum est.

43. *Dico I.* Peccata non differunt per hoc, quod mortale sit contra legem, veniale contra consilium, vel præter legem.

Prob. Etiam veniale peccatum est contra legem divinam; ergo venialis differentia a mortali non est statuenda in eo, quod veniale sit contra consilium, vel præter legem. *Ant.* *Prob.* 1^o. Veniale peccatum, utpote moraliter malum, est contra regulam morum: sed regula morum est lex divina seu æterna; ergo, 2^o. Ubi non est lex, ibi non est prævaricatio nec malitia: sed in veniali est malitia; ergo, 3^o. Aliqua lex divina prohibet mendacium; nam Levit. 19. v. 11. dicitur: *Non mentiendis*. Et Eccli. 7. v. 14. *Noli velle mentiri*. Item prohibet *non jurare omnino*, nempe sine necessitate. Ubi ne quis existimet datum esse duntaxat consilium, Christus addit Matth. 5.